Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Vake

Ad Virum Maxime-Reverendum, atq[ue] Excellentissimum, Dominum Johannem Fridericum Mayerum Doctorem Theologum, ad Div. Jac. Pastorem &c. ... Epistola Responsoria Altera : exhibens Vindicias Argumentorum Ex Lumine Rationis Resurrectionem Carnis probantium

[Hamburg]: Zieglerianus, [1697]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825708877

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

L. a–d 420 p. Thay
212 p
104 p
21 f. 103 p
64 p
26 p
19 v
21. 210 p
64 p
52 p
23 p
16 p
16 p
38 p Thd
8 p
16 p
121 – 140 p

5l. c. 6.

Fg. – 1069 1–27.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825708877/phys_0002
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825708877/phys_0003
DFG

Contenta.

1. Lutherus Redivivus, cum praefatione D. Speneri.
2. D. Schelguigii Pars III. der Sectirischen Pietisterey.
3. D. Deutschmann von der sündigen Kunst und Kunststücke.
4. Brenneysens Anmerckung über Stoltzen.
5. D. Schelguig Thesis de Censure.
6. Repetitio doctrinae de Fundamento Fidei.
7. Thomasii Disp. de Jure Principis circa haereticos.
8 Defensio doctrinae de fundamento salutis.
9. M. Roths Publica [illegible] ad D. Thomasium.
10 Eiusdem Epistola ad Thomasium.
11 M. Stiffelii Lectio Monitoria.
~~12~~ Eiusdem Additamentum Lectionis.
12 Abbatis Chariari Epistola ad Amicum.
13 Copia d. Königl. Poln. Briefe wegen Thomasii.
14 Justini Tollenari Unverantwortliche Ablehnung.
15 D. Mayeri gifftig verlarvte Teuffels Kadel.
16 Eiusdem dritter und vierter ewiger Tröster.
18 Chr. Frisch Entdeckung der Kennzeichen einiger Neulinge.
18 D. J. A. Schmid die Ungleiche Gottesgelehrte.
19 Vake Gründlicher Beweiß, daß man Gott sage.
20. Eiusdem Argumenta resurrectione ex lumine naturae probantia.
21 D. Mayeri Epistola ad Vakium de hac materia.
22 Vake Epistola Responsoria, quoad praeliminaria.
23 Eiusdem Responsoria quoad vindicias.
24. Flosculi quidam ex scriptis Vakianis.
25 D. Mayerus gratulatur Vakio retractationem.
26 Vakii Epistola Expostulatoria.
27. Meyeri contradictionis labes abstersa.

24

AD

VIRUM

Maxime-Reverendum, atq; Excellentissimum,

DOMINUM

IOHANNEM FRIDERICUM MAYERUM

Doctorem Theologum, ad Div. Jac. Pastorem &c. longè celeberrimum, Fautorem, Amicum & Collegam multis nominibus venerandum

EPISTOLA RESPONSORIA

Altera,

exhibens

VINDICIAS ARGVMENTORVM

Ex

Lumine Rationis

RESURRECTIONEM CARNIS

probantium,

conscripta

à

M. IOHANNE VAKE,

Archi-Diacono Paulo-Petrino.

Hamb. 1697. d. 28. Julii.

Prælo Ziegleriano.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825708877/phys_0005

DFG

In Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, qui reſurrexit ex mortuis, & ſedet ad dextram Patris Omnipotentis, Amen.

Vir Maxime-Reverende, Excellentisſime, Doctisſime, Fautor, & Amice ſingulariter colende, Frater in Chriſto dilectisſime.

SCripſi primitùs non-Doctis, & incidi ex inopinato in Doctos, inter quos, Tu Vir Doctisſime, mihi gravem moviſti controverſiam. Miratus ſum, cum legerem tuam Epiſtolam, & poſteà alios mecum mirantes audivi, quâ tam operoſè impugnas ſententiam de Reſurrectione lumine rationis cognitæ, in ſe innocuam, & innoxiam, imo ſalutarem: nec minùs operoſè propugnas ſententiam, contra Naturaliſtas planè non eſſe diſputandum ex lumine naturæ pro Reſurrectione, utpote quæ ratione duce probatu impoſſibilis, quam Scripturæ S. irriſores in ſuæ pertinaciæ alimentum rapere poſſunt. Cum vero ita Tibi viſum fuerit, Argumenta mea variis inſtantiis, & Exceptionibus infringere, videas, an ex

animi ſententia tuus Tibi conatus ſucceſſerit. Vindiciæ meæ oſtendunt, Argumenta mea omnibus Tuis inſtantiis, & exceptionibus, ex Gentilium cæcorum ſinu depromptis, longe majorem mereri fidem, utpote, quæ non adeo evidentes, & conſtringentes ſunt, ut Fidem humanam vel ejicere, vel impedire valeant. Tuâ Epiſtola nihil aliud eviciſti, quam, Gentiles ſuas habuiſſe rationes, quo minus Reſurrectionem carnis credere aut potuerint, aut voluerint: quæ vero dudùm a Patribus quàm leviſsimæ inventæ ſunt. Illis, tanquam arietibus, laudabilem ſententiam pulſare Theologum, Paſtorem, idipſum non minùs eſt mirandum. Sed hiſce miſsis ad Argumenta,

Primum ita ſonat pag. 3. Repet.

Qui vult, ut homines agnitam Dei benignitatem, potentiam & ſapientiam celebrent obedienter, & perfecte, tanquam finem, ille vult etiam Reſurrectionem piorum, tanquam unicum medium ad conſequendum illum finem. Ut Majoris hujus veritas eò magis illuceſcat, formabo illam hypotheticè.

Si Deus vult, ut homines (anima & corpore) agnitam Dei benignitatem, potentiam, & ſapientiam celebrent obedienter, & perfecte (quæ perfectio in debita juſtitia, & ſanctitate

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825708877/phys_0008
DFG

te consistit), tanquam finem, (primitùs in creatione intentum) utique etiam vult, resurrectionem piorum, tanquam unicum medium ad consequendum illum finem. Ratio consequentiæ est, quia Deus hunc suum finem in hac vita non assequitur plene, & perfecte, quod experientia testatur: ne ergo suo frustretur fine, quem assequi potest, quia sapiens & omnipotens est, & vult assequi, quia summe bonus & justus, & immutabilis est: Bonus enim, & justus & constans vir non intermittit, sed studet, finem suum primitus intentum assequi, quantùm potest: Multò magis optimus DEUS. Hinc DEUS vult resurrectionem piorum, quæ ad consequendum illum finem unicum est medium. Siquidem DEUS in resuscitatione format hominem, ut possit benignitatem, potentiam, & sapientiam divinam non tantum perfecte cognoscere, sed & agnitam perfectè celebrare.

Contra Majorem insurgis his pag. 7. Epist. verbis: *Majorem non ad resurrectionem, sed ad immortalitatem corporis recte concludere, naturalis homo excipiet.* Miror stupiditatem Sadducæorum, quibus hæc tua exceptio ne in mentem quidem venit. Argumentatus erat Christus adversus illos: Omnis is, cujus Deus Deus est, si mortuus est morte temporali, reviviscet, quia Deus non est Deus mortuorum, sed viventium. Miror, inquam, Sadducæos non excepisse: JEsu, Major tua non ad resurrectionem, sed ad immortalitatem corporis recte concludit; qui enim corpore, & anima vivit, is viventium numero recte adscribitur. Ast verò quis hominum adeo stupidus est, qui talem necteret consequentiam, cujus consequens ex quotidiana imbecillitatis humanæ ἀυτοψίᾳ falsitatis arguitur; concluderet ad corporis immortalitatem, & non potiùs ad ejusdem resuscitationem a benignitatis, potentiæ, & sapientiæ divinæ intuitu? quæris: *quid homini naturali facies, sic argumentanti:*

Quicunque vult, ut homines agnitam Dei benignitatem, Potentiam, & Sapientiam celebrent obedienter & perfectè tanquam finem, ille non vult resurrectionem Piorum, tanquam unicum medium ad consequendum illum finem, sed cum spatium

illud, quod inter mortem intercedit, lædat perfectam celebrationem, silentium que cinerum illam offendat, vult prorsus immortalitatem corporis, ut corpus non moriatur, & indesinenter celebret. Sed posterius non vult. Ergo neque prius. Quid huic homini facerem? quæris? Examinarem ejus Syllogismum sec. Anatomiam Logicam: quod verò gravi de causâ intermitto. Interim nego consequentiam majoris, ejusque probationem. Spatium enim mortis non lædit DEI celebrationem, nec silentium cinerum illam offendit: interrumpit quidem quoad corpus, sed non quoad animam: anima enim corpore soluta, perfectius cognoscit benignitatem, potentiam, & sapientiam Dei, & agnitam in perfecta sanctitate, & justitia celebrat, quod & sapientioribus Ethnicis ex Platonis Phædone notum fuit. Audi & Hermetem Trismegistum, qui c. 1. Pymandri sub fin. ità differit: tunc animus ad propriam naturam revertitur, vim propriam habens, unaqve cum illis, qui illic sunt, Patrem laudat, ipsi qvoqve in Potestatum numerum se conferunt, effectiqve Potestates DEO fruuntur, atqve id summum bonum eorum, qvibus &c. quod verò Corpus attinet, rationi non est absurdum, quod quoad temporis spatium somno mortis detur, ut resumptis novis viribus in resuscitatione majori cum industria debitum celebrationis opus in æternum ritè perficiat. An in hac vita celebratio divini numinis læditur per hoc, quod homo dormit, ubi corpus silet, & anima rarò de Deo cogitat? Sic Deus ipse læderet celebrationem sui nominis, quia somnus à Deo ordinatus, ut corpus sub placidâ quiete novas vires inhonorem ejus resumat. Vides, Vir Maxime-Reverende, non *Majorem meam*, sed, *ignosce monenti* Tuam, imò totum tuum argumentum *Tibi penitus periisse.*

Quod attinet verba Athenagoræ, adduxi illa non tam propter priora, quam posteriora: Quod si undique ab omnibus operibus Dei, & ab illius muneribus exclusa est frustraneitas,

tas, neceſſarium eſt omnium, cum animæ immortalitate coœternam eſſe corporis perdurationem ſec. ſuam naturam. Hæc enim confirmant meum argumentum, non priora. Interim & priora ejus verba poſſum mea facere, absque ulla communione erroris ψυχοπαννυχίας. Ex illis tale necto argumentum :

Quicunque homini dedit & animam rationalem, & os, & linguam, ut agnitam Dei bonitatem, ſapientiam, & Potentiam celebret, ille vult, ut homo mortuus reſurgat. Ratio eſt, quia homo durare debet, quamdiu durat objectum celebrandum, nempe Dei benignitas, ſapientia, potentia, juſtitia. Excipis : *Ridebit Ethnicus argumentum à durationis objecti celebrationis ad durationem celebrantis.* Sed riſu dignus eſt ille riſus, & riſu explodendus, qui merus eſt riſus, nec ullam riſionis cauſam juſtam habet. Nonne, quia Deus eſt ſumme bonus, & juſtus, atque ab homine talis æternum cognoſci & celebrari vult, ideo neceſſe eſt, ut homo cognoſcens & celebrans æternum permaneat ? Urges : *celebrationem ſine corpore permanere poſſe.* Hoc non tantum ut poſſibile, ſed & ut actualiter tempore mortis exiſtens largior. Verum, ut homo non tantum partialiter ſecundum animam, ſed & totaliter ſecundum corpus & animam, in quem finem ad Deo eſt creatus, Deum celebret, neceſſe eſt, ut corpus reſurgat. *Adde, quod humanæ naturæ à Deo conditæ neceſſe ſit finem aliquem eſſe propoſitum, qui ne fingi quidem poteſt alius, quam beata vita* totius hominis. *Nam finis partis alterius non eſt finis totius ; at totum hominem Deus condidit. Quæ omnia aliaque inſuper Lectu digna ulterius tractata invenire eſt apud eum, quem modo dixi,* Athenagoram ; *ad quem te, ne longior ſim, remitto.* Sunt verba Grotii ad Matth. XXII. 32. magno Calovio approbata Bibl. Ill. fol. 397. b. fin. Hinc apparet, argumentum meum, ex verbis Athenagoræ exſtructum, non eſſe *paralogiſmum*, i.e. Syllogiſmum, qui ſpeciem, ac probabilitatem quidem veritatis habet, ſed fallax eſt, & falſus in materia : ſed Syllogiſmum verum, & bonum in forma, & materia.

A Majore Argumenti mei progredior ad ejusdem Minorem, quam

quam Lectori subsumendam reliqui, quia subsumptionem cuivis facilem putavi. Illam non satis, Vir Maxime-Reverende, ignosce monenti, expressisti tuis verbis, pag. 7. Epist. scribens : *Non pauciora etiam Ethnicus in Minore Tua desiderabit. Dicet enim sibi de eo non constare, quod Deus a se velit in æternum celebrari, expectare se hujus asserti rationem, quæ id evincat.* Hunc in modum formatum desidero Atqui DEUS vult, ut homines agnitam DEI benignitatem, potentiam & sapientiam celebrent obedienter, & perfecte, tanquam finem. Duo hic probanda : *primo*, Deum velle, ut homines agnitam benignitatem, potentiam, & sapientiam Divinam celebrent obedienter & perfecte. *Secundo*, hoc esse finem Dei in creatione primitùs intentum. Neutrum quisquam negabit, qui recta ratione delibutum habet animum, & in ejus tramite versatur. Ille enim considerat, Numen perfectissimum, & summum bonum non posse non velle perfectissimum cultum : & Deum omnia condidisse propter semetipsum, ad nominis sui gloriam. Nemo, nisi Epicuri de grege, utrumque negabit. Epicurus quidem ajebat, Deum esse æternum, beatumque, ideoque pietate colendum, habere enim venerationem justam, quicquid excellit, teste Cicerone lib. I. de nat. Deor. ante medium. p. mihi 1169. b. Attamen statuebat, nolle Deum ab homine cognosci amari, colique, negavit enim Dei providentiam, & animæ nostræ immortalitatem, propterea non immerito Atheus habitus est, tantummodo Deum esse negare non ausus, ne quid invidiæ subeat, aut criminis, ut ait Cicero lib. 3. De nat. Deor. ab initio. p. m. 1193. a. Eo etiam, quod proprium optimæ & præstantissimæ Dei naturæ est, sublato, ex hominum animis radicitùs extraxit religionem. Idem lib. 1. de nat. Deor. prope finem. p. m. 1176. b. Talis Epicuri de grege â rectæ rationis tramite devius est, nec mihi cum illo hâc vice res est, qui de argumento rectæ rationis ago.

Quoniam vero in antecedentibus asserui, Deum ab homine bonum, & justum velle æternùm cognosci : *hujus asserti rationem*, Vir Maxime-Reverende, nomine Ethnici *a me expectas*, *quæ*

qua id evincat. Ablego illum ad Scholas Pythagoræ', Platonis, aliorumque id genus ſaniorum Philoſophorum. Docebunt enim illum, Deum eſſe ſummum bonum, principium, medium & finem hominis, dignum, ut nunquam cùm pietatis, tùm ejus cultus deponamus memoriam, ſed ἀεὶ ſemper ob oculos mentis habeamus; Jamblichius de vita Pythag. p. 156. Hoc ſi verum, ut veriſſimum eſt, ſatis nobis conſtat, cur Deus in æternum ab homine celebrari velit. Si enim hominis ſummum bonum, finisque Deus eſt, eſt ſane talis in æternum, niſi enim in æternum ipſius bonum eſt, non erit ipſius ſummum bonum. Si in æternum eſt bonum hominis, neceſſe eſt, ut in æternum ab eo celebrari velit, celebratio enim eſt honor illi debitus. Perfectior autem eſt celebratio æterna temporali, totius hominis, quam partis. Remitto quoque illum ad Johannem Baptiſtam Aurellium Scriptorem Seculi XVI. qui libr. 1. de Reſurr. cap. 6. p. 106. ita ſcribit: Recta ratio æquum judicat, & juſtum, ut homo integer Deum in æternum glorificet: nam eum ad hoc conditum fuiſſe, probabiliter eſt Demonſtratum. Addo & hoc: Deus creavit hominem non ad mortem, ſed ad vitam, quia ſumme bonus & ſapiens eſt. Numquid Deus eo conſilio hominem in rerum naturam produxit, ut genitus corrumperetur, & extremum ſubiret interitum? anne vanum id conſilium, ineptum propoſitum, & abſurda fuiſſet intentio? ac vehementer ſanè indigna res eſt, talem cogitationem ad Deum referre, & hujusmodi quicquam de eo ſentire? puerulis enim hâc ratione aſſimilaretur ſtudioſè ædificantibus, & celeriter ſtructuram ſolventibus, quippè ad nullum finem utilem mente eorum ſpectante. Gregor. Nyſſen. Orat. 3. de Chriſt. Reſurr. Qui ergo in creatione noluit, hominem mori, ille voluit, ut homo viveret in æternum, in quem finem? in Laudem gloriæ ſuæ. Inſtas pag. 7. Ep. fin. 8. in. *Quod ſi verum eſſet, non tam fragiles fuiſſe conditurum opificem ſummum homines, ipſum ergo Creatorem æternitatem cultus noluiſſe.* Vis argumentari: Quicunque ho-

homines tam fragiles condidit, ut mori possent, ille noluit æternitatem cultus. Hæc major est falsa, adeoque hunc in modum corrigenda. Quicunque homines tam fragiles condidit, ut in æternum vivere non potuerint, atque eo fine, ut morerentur, ille noluit æternitatem cultus. Sic negatur de Deo minor. Proba, Opificem summum tam fragiles condidisse homines, ut in æternum vivere non potuerint. Condidit quidem fragiles, ut mori potuerint: sed eo fine fragiles condidisse, ut morerentur, atque adeo fragiles, ut vivere non possent in æternum, hoc nego, ac pernego. Unde vero mors? id ipsum viderunt nonnulli sublimioris ingenii Philosophi. Præluxit illis sana ratio, Deum non esse fontem mali: Deos nullo modo esse causas malorum, dixit Pythagoras ap. Jamblichium in vita sua p. 185. Hominem esse optimum, Deoque simillimum opificium, morbos aliaque fragilitatis nostræ πάθη ex semine mali esse, idem Pythagoras d. l. docuit. Cicero in Hort. dial. circ. finem inducit divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt. Ex quibus Augustinus Julianum Pelagianum ita affatur: nonne, qui ista senserunt, multo, quam tu, melius grave jugum super filios Adam, & Dei potentiam, & justitiam viderunt, etiamsi gratiam, quæ per mediatorem liberandis hominibus concessa, non viderunt. lib. IV. contr. Julianum c. 12. 15. Quidam ergo Gentiles, qui gratiam non viderunt, viderunt nihilominus fragilitatem nostram non ex Opificis benignitate, sed ex nostra culpa ortam: quod & alii videre potuissent. Pergis: *Longe vero minus Tibi concedet medium perpetuæ celebrationis Dei corpus esse, qui intermissæ contemplationis cultusque divini culpam in corpus illiusque recijit illecebras & nunquam ad obeundas actiones spirituales se magis credit esse idoneum, quam corpus quando abjecit aut de corporeitate exiit.* Hoc inprimis Pythagoræ, & Platonis erat placitum, qui in Phædone contagionem animi ex corporis commercio tractam esse asserit. Quid vero hæc ad nos? nisi rectæ rationis axioma esse probatum eas. *Eusebius* lib. XIV. Præp. Evang. ostendit, quomodo sectæ Philosophorum

sophorum se se invicem redarguerint, & illorum placita nulla esse demonstraverint. Insuper, non est argumentandum â corpore impuro, fragili, misero ad corpus purificatum, & cœleste factum, quod tot Ethnici dari largiti sunt, quotquot Diis, & Dæmonibus suis, quin imo animabus corpora subtilia vendicarunt, contemplationi summi Dei minime noxia. Etiamsi de glorificatione corporum, glorificatorumque dotibus, & qualitatibus nos lumen naturæ non informat, de immutatione tamen eorundem aliquam nobis spem facit. Cum enim corpus in hac vita aggravet animam, ne in altera quoque impedimento sit, vult Bonitas Dei illud in παλιγγενεσία in melius mutare. Sapientia scit modum; Potentia deducit in actum. Agmen claudant egregia Justini verba: Si in dona Dei pœnitentia non cadit, (Deus mutabilis non est): Deus autem nobis, ut simus, gratuito largitus est: quomodo is primitus de nobis cæptum consilium non adimplet, in incorruptibilitatem nos restituens? Quæst. & Respons. ad Græcos f. 213.

In Responsione ad argumentum meum Secundum

Quicquid divino conducit honori & simul medium est ad consequendum finem (sic enim Major supplenda ex Antecedentibus), illud vult Deus.

Ut pace Tua, Vir Excellentissime, hoc dicam, committis fallaciam compositionis & divisionis pag. 8. Epist. dividis enim, quæ sunt conjuncta, & composita. Major mea non in sensu diviso, sed composito est accipienda. Quod Repet. Argum. p. 4. fin. 5. in. præmonere volui, Majorem sic informando.

Quicquid non tantum est medium finis consecutivum, sed & insuper divino inservit honori, illud vult Deus. Ubi honor divinus argumento (primo) superaddit pondus. Idque contextus Opusculi Germanici requirit, ubi pag. 13. dicitur: **Das will Er auch thun / denn es gereicht zu seinen Ehren/**

ren/ ꝛc. das der Schöpffer seinen Zweck gäntzlich erreiche. Cedere vero in Dei honorem, quando Deus finem suum totaliter, & penitus assequitur, nemo negabit, qui mecum perpendet, in gloriam benignitatis, sapientiæ, justitiæ, potentiæ, & immutabilitatis divinæ illud vergere. Conf. Num. XIV. 13. 20. Pessimum ergo esset judicium, dicere, Deum non semper velle convenienter operari ad consequendum finem â sapientia sua intentum. Secundum hoc meum argumentum cum Primo ex potiori parte convenire, non nego: illud vero repetendo tam minus petitionem principii commisi, siquidem in recta ratione jactum est, ut potius T.M.R. Dignitas illud commiserit, falsas Gentilium opiniones repetendo. Repetere volui, superaddito honore divino, ne quis in eo perseveraret errore, me tale ἄδοξον, & παράδοξον: Quicquid divino conducit honori, illud vult Deus: in Opusculo Germanico proposuisse. Nam & mihi jam antea quam notissimum fuit, hanc propositionem non absolute, & simpliciter esse veram. Inesse ergo huic argumento Secundo πρῶτον ψεῦδος, gratis dicitur: cum in Responsione ad instantias contra Primum ejus veritas satis, superque vindicata sit. Interim *meo judicio non conduceret divino honori, si neglectis vilissimis animalculis* eorum *loco conderet tot homines*: siquidem ex animalculis istis illucescit multiformis sapientia Dei, quæ hominibus laudis, & præconii materiam, vel argumentum subministrant: quod & Tyronibus Theologiæ notum est. Tali judicio abstineo, ne cum Alphonso X. Rege Castellæ blasphemare incipiam Dei incomprehensibilem sapientiam; quantas suæ blasphemiæ pœnas dederit, refert Mariana lib. XIV. Hist. Hisp. c. 5. Neq; meo stat judicio, *conducere divino honori, novum hoc Atheistico seculo creare mundum.* Quod enim Deus hoc Atheisticum seculum ferat, facit ad ostendendas suæ patientiæ, & longanimitatis, ad pœnitentiam ducentis, divitias. Nec dubito, quin Deus multos sua patientia Atheos lucretur, ad minimum in ultima mortis hora. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Pergis pag. 8. fin. 9. 11. *Minor autem Tua non minus vacillat. Quid si enim reponet Gentilis: atqui resurrectio corporum non conducit honori divino, hæc etenim deliquii postulat Creatorem, ac si vires ipsius in dies sensim sensimque deficiant, ut nova in æternum*

non

non possit producere humana corpora, sed putrefacta ex pulvere cineribusque revocare ipsi sit necesse. Hæc & talia V. M. Fautor & Amice summe colende, ut cum Tua venia dicam, nonnisi insana ratio delirare potest. Opusculum meum Germanicum scripsi non stolidis, & stultis, insanæ rationis hominibus, sed sanis. Wer noch gesunder Vernunfft ist/ und nicht durch eine langwierige Gewonheit/ zu sündigen/ sich selbst untüchtig gemacht hat/ das wahre vom falschen zu unterscheiden/ der wird diese natürliche Warheit erkennen. **Gründl. Beweißthumb** p. 15. §. 14. Quæ istháec est dementia? vereri, ne infinita essentia deliquium patiatur, & viribus deficiat, nova in æternum corpora producendi, & quidem eodem modo, quo hactenus per tot mille annos produxerit. Quis sanæ rationis homo, Resurrectionem audiens, talia de Deo concluderet? Nonne saniores Philosophi statuunt, Deum plures hoc visibili mundo posse producere? quicquid etiam in contrarium ratiocinentur Cartheſiani. Vid. Steph. Chauvin. Thesaur. Philosoph. voce Mundus. Adeoque minimè metuendum, doctrinam de Resurrectione labefactare divinæ potentiæ gloriam: Sana enim ratio utrumque dictitat, Deum non tantum mortuos posse resuscitare, sed &, si vellet, nova in æternum humana producere corpora. Majoris momenti est, quod subjungis his verbis: *Quid si reponat, magis divinum promoveri honorem, si tot mille milliones hominum, quemadmodum usque huc, ita in æternum in matrum uteris formet, & in dias luminis auras exire jubeat, majori cum accessione, facileque illo honore, à resuscitatis collecto corporibus, posse carere.* Jam concedit Gentilis, Resuscitatione mortuorum divinum promoveri honorem, sed putat, aliud quid magis promovere, hinc non illud, sed hoc sperandum. Vult argumentari:

Quicquid magis divinum promovet honorem, quam Resurrectio mortuorum, illud magis est exspectandum, quam Resurrectio mortuorum.

Tot mille milliones hominum, quemadmodum usq; huc, ita in æternum in matrum utris formare, & in dias luminis auras producere, magis divinum promovet honorem, quam Resurrectio mortuorum. Ergo.

Minorem probat, quia per illud *major* fieret *accessio hominum*, gloriæ divinæ præconum, quam per hoc.

At falsa est Minor. Nam etsi ex productione novorum hominum in infinitum major accessio fieret hominum, adeoque plures successivè essent, qui Deum celebrarent, quam in Resurrectione una forent, tamen ex hac magis elucet gloria Dei, quam ex illa. Ne dicam, productionem humani corporis in utero matris esse naturalem ex concursu causæ primæ cum secundis, Resuscitationem vero esse actum mere divinum, & consequenter in majorem Efficientis honorem redundare: Veritas asserti mei palam fiet ex instituta inter utramque comparatione. Bonitatis opus est, hominem, qui nunquam fuit, producere: ast, nonne majus Bonitatis opus est, hominem, qui fuit, ne in æternum pereat, è morte reducere? Sapientiæ opus est, in utero matris hominem tam artificiosè formare: Sed majus Sapientiæ opus est, corpus è pulvere terræ idem numero immediatè reformare. Magnum scientiæ divinæ opus est, in utero matris abdito fœtum nosse: Ast, quid dicam de hoc opere? quo Deus unius cujusque corporis, adeoque tot millium millionum hominum minutissimum pulverem, hinc inde dispersum, novit, & quamlibet animam suo scit corpori reunire: hoc longe majus mirandum opus est, & nemo negare potest, nisi qui Deo omniscientiam denegaverit. Admirandæ divinæ potentiæ opus est, ex massa, grano tritici minore, ex duobus hominibus traducta, facere hominem: sed magis mirandum, carnem uniuscujusque corporis reducere ex ἀνθρωποφάγοις, piscibus, bestiis, mari, terra, aere, ubi ubi tandem lateat, quod omnipotentiæ divinæ credimus. Vides ex Resuscitatione mortuorum gloriam Dei magis elucere, quam ex productione indies novorum hominum in æternum. Quæro insuper ad retundendam tuæ minoris probationem: An magis divinum promoveat honorem, si centum homines imperfectè decantent laudes Dei, quam si decem perfectè id faciant? prius fieret in hâc vitâ stante tua productione indies hominum in æternum: posterius in altera fiet vita factâ Resurrectione. Ego tres certe, aut quatuor Musicæ peritos potius audirem, quam decem, imo viginti Panis socios: Utrem pro Cythara gaudet habere Mydas.

Vides

Vides iterum, gloriam Dei ex Resurrectione mortuorũ magis illucescere, quam ex productione indies novorum hominum in æternum, non obstante majori Tua accessione. Habeo adstipulantem Justinum: Homines inquit, universos simul eodem tempore per restitutionem ad id, ut incorruptibiles sint, traducere, longe est divinius, quam eos, (longo temporis intervallo subinde per creationem, sive generationem), in mortalem hunc, in quo nunc sumus, statum producere. Reservavit id autem nobis, quod est convenientius, & divinius, ut vicissitudine esset posterius; quippe in quo finis est constitutionis nostræ collocatus. Quo si privaremur, secundum eos, qui resurrectionem non credunt, quanto præstantius, pulchriusque esset, nos non esse, quam esse? incommodum namque id omne est, quod fine privatur suo. Quæstion. & Respons. ad Græcos f. 210. 211. num. 11.

Argumentum Tertium
est â Bonitate Dei Paternâ petitum.

Quicunqve est Pater summe misericors, ille filios suos obedientes, sive morigeros, sibiqve charos non linqvit in morte, sed eripit. Paternus enim affectus illum adigit, ut hoc efficiat.

Egregiè illud ipsum confirmat Irenæus libr. II. adversus Hæres. cap. 51. ubi de Resurrectione agit: DEUS, inquit, melior est quàm natura, habens apud semetipsum velle, quia BONUS est. Prolixiùs lib. V. cap. 4. ubi inter alia sic argumentatur: Si autem, cum possit vitam mortuis præstare, non præstat, jam non bonus ostenditur, sed invidus & malignus Pater.

Huic Argumento Tua Max. Rev. Excellentia duo opponit pag. 9. Epist. med. *At! nonne alius ex hoc tenerrimo amore potius colligat,*

gat, plane non moriendum esse pius, non tot afflictiones perpetiendas, non tam duram sortem obeundam, cum nobis constet illa quoque optimè cum paterno cohærere affectu. Hæc verba videntur æmulari blasphemiam Iudæorum Ioh. XI. 37. Non poterat hic, qui aperuit oculis cæci nati, facere, ut hic non moreretur? Poterat utique Christus, sed noluit. ver. 6. quare? propter gloriam Dei, ut Filius Dei glorificaretur resuscitando illum ex mortuis. vers. 4. 40. Utique Deus ex tenerrimô suô amore filios obedientes & charissimos servaret â morte, durâ sorte & afflictione, nisi sapientiæ suæ divinæ aliter videretur. Tradit verò morti, quod quotidiana testatur experientia, ut resuscitando illos ex mortuis magis glorificetur; in quem finem illos in hâc quoque vitâ ex afflictionibus, & durâ sorte quandoque eripit. Ad infringendam ergò tuam instantiam Majori argumenti mei addendum est: Nisi sapientiæ ejus divinæ justa de causa aliter visum fuerit. In Deo, ut & in quôlibet prudenti Patre terrestri, non tantùm est paternus Amor, sed & Sapientia. Probes ergò, Vir. Max. Rev. Sapientiæ divinæ non videri, ut homines pii ex mortis faucibus eripiantur: quemadmodùm ego ex quotidianâ experientiâ facilè probo, sapientiæ divinæ visum fuisse, ut homines pii morerentur, & duram quandoque sortem obirent. Quin & Gentiles nonnulli agnoverunt, duram sortem proborum optimè cum paterno Dei affectu posse consistere. Audi Senecam libr. de Provid. cap. 2. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortius amat: & operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur. Langvent per inertiam saginata. & cap. 4. Hos DEUS, qvos probat, qvos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem, qvibus indulgere videtur, qvibus parcere, molles venturis malis servat. Digni sumus visi Deo, in qvibus experiretur, quantùm humana natura posset pati. Seneca ergò, & qui cum illo faciunt, minimè ex tenerrimô Dei amore colligent, piis duram sortem non esse obeundam. Alterum, quod opponis, scribens: *Aut si quis Gentilium mortem corporis pro summo agnosceret beneficio, pro carcere, in quod anima deturba-*

turbatur, destructione, (ceu infra dicam), nonne hic ex paterno amore ad perpetuos fortius certe concluderet cineres? Iterum ex quorundam Gentilium, nempè Platonicorum, pravâ opinione est desumptum: quo de jam actum est in Quæst. Prælimin. qu. VI. pag. 22. Hanc Platonis opinionem nullum habere fundamentum, rotundè professus est Arnobius ex Platonico Philosopho Christianus lib. II. pag. 27. lin. 26. Alii Gentilium mortem non pro summo agnoverunt beneficio, non pro carceris destructione. Aristotelici, qui corpus materiam statuunt, cujus ἐντελέχεια anima est, aliter senserunt: forma enim non appetit materiam, ut carcerem, nec informat, ut ergastulum, sed ut desideratissimum domicilium. Trismegistus c. 5. Pymand. de corpore humano ità loquitur: Si illum artificem investigare volueris, circumspice humani corporis artificium, cujus admonitione perdisce, quis tam pulchræ imaginis conditor? num carcer pulchræ imaginis meretur præconium? Corpus non esse ergastulum, nec carcerem, sed commodum domicilium, officinam, imò instrumentum animæ, quod & pars est essentialis hominis, quisq; experitur in se, qui suas operationes accuratè expendit. Annè anima hoc suum corpus amaret? eidem Resurrectionem optaret? ejusdem reunitionem desideraret? Resurrectionem pro beneficio haberet? de quo scit, quod extra illud multas operationes edere non possit, quas non nisi in, & cum corpore & per corpus edere potest.

Quartum,

Qvicunqve paternum affectum habet erga homines pios, ille eosdem non sine solatio sinit vivere contra horrorem mortis: Pater enim fidelis solatur liberos mœstos efficacissimè. Si vero pii nullam spem resurrectionis haberent, DEUS illos derelinqueret mœstos, (cum nullum aliud contra horrorem mortis suppetat solatium, quam unice spes Resurrectionis.) Id quod falsissimum, est etenim contra Paternum Dei affectum.

Vis invertere, Vir Excell., his verbis p. 9. Epist. fin. *Enimvero resur-*

resurrectionem corporis, mortis non minuere sed augere horrorem, animum e contrario addere, desideria mortis accendere, resurrectionis negationem, Gentilis libere confitebitur. Natura & experientia contrarium docet. Nonnè cuilibet, in vitæ discrimine constituto, animum addit spes retinendi vitam, aut recuperandi sanitatem ? quidni bono viro animum adderet in morte spes, ex paterno Dei in ipsum affectu orta, postliminio ipsi in resuscitatione restituendum fore corpus amatum ? Instas : *Qui enim credit omnium calamitatum, quæ contingunt homini, causam, instrumentumve corpus esse, in morte vero destrui illud, destructo corpore imponi finem calamitatibus, utrum hunc redditione illius corporis (glorificatum enim corpus vel tuo suffragio,* Amplissime Vir, *gentilis ignorat) erigi credas ?* Quis Gentilium hoc absolutè credidit ? nisi, qui ex Epicuri grege ortus. Saniores Gentiles calamitatum, quæ homini contingunt, causam inprimis esse vitia, crediderunt. Et quid calamitatum ex corpore resuscitato bono viro suboriri potest, quem Dei consortio immistum corpus condecens habere oportet ? Sed excipis : *glorificatum corpus vel tuo suffragio, Amplissime vir, gentilis ignorat.* Quod non simpliciter meum meretur suffragium. Gentiles ignorare corpus glorificatum in sensu Scripturæ, concedo. Nego verò, Gentiles lucida corpora negasse defunctis Origenes lib 2. contr. Celsum p. 97. ex Platone colligit, animas defunctorum suum quoddam corpus habere, quod Græcis vocatur αὐγοειδὲς, h. e. interprete Suida, jubaris solaris instar splendens. Hinc Hierocles in carm. Pythagoric. p. 291. Heros quilibet animus, rationis particeps, corpori lucido conjunctus, & homo similiter animi ratione præditus cum congenito corpore immortali. Gentili non minus immutationem, quam resuscitationem corporis persvaderi posse, ad argumentum primum notatum est. Hinc pendet solutio tuæ quæstionis : *Quis summos dolores cruciatusque sustinenti gratior, utrum ille qui redituros prædicit, illene, qui in æternum desituros pollicetur ?* Plutarchus, Cicero, & Seneca hic minimè audiendi, sed Philosophus rectâ ratione præditus. Ille hanc quæstionem sic expedit : gratior summos dolores, cruciatusque sustinenti is est, qui non tantùm desituros, sed & nunquàm redituros, ubi vita redit ; quam ille, qui quidem desituros in æternum pollicetur, vitam autem redituram prædicere aut non vult, aut non potest. O Miserum

rum ſolatium Plutarchi, Ciceronis, & Senecæ ad propulſandos mortis horrores! cujus effectum ne quidem Cicero in ſe expertus eſt, qui â manu Sicarii moriens dixit: o me nunquam ſapientem! An Seneca tam intrepidè mortuus? qui juſſu Neronis ſibi ipſi mortem inferre coactus eſt. Nonne Tacitus de illo lib. XV. Annal. § 9. refert: Quod adverſus præſentem formidinem paululùm mollitus ſit. Sævisque cruciatibus defeſſus, ne dolore ſuo animum uxoris infringeret, atque ipſe viſendo ejus tormenta ad impatientiam delaberetur, ſvalerit, in aliud cubiculum abſcederet. En efficaciam ſolatii Gentilis! quod ne in ſene quidem, Seneca, horrorem, & formidinem mortis propulſare valuit. Quantum verò ſolatium ſit ſpes Reſurrectionis, in exemplo ſeptem fratrum II Maccab VII. & tot Martyrum apparet. Quod attinet exempla ap. Val. Max. lib. IIX. c. 9. Narrat quidem ille, multis Cyrenaicum Philoſophum cupiditatem voluntariæ mortis appetendæ ingeneraſſe, non verò addit, illos cupiditatem ſuam explevisſe. Certò credo, ubi ad ſe, & ſaniora redierint, amorem vitæ, & horrorem mortis ab executione illos retraxiſſe, cogitantes illud tritum:

Jß dat Leven Sürlick
Jß et doch naturlick.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adſtrue gibberum;
Lubricos qvate dentes,
Vita dum ſupereſt, benè eſt,
Hanc mihi, vel acuta
Si ſedeam cruce, ſuſtine.

Hos Mecænatis verſus recenſuit Seneca Ep. CI.

Ex his omnibus patet, nullum efficax ſolatium Ethnicis adverſus mortis, quæ Ariſtoteli omnium horribilium horribiliſſimum, horrores fuiſſe: Spem vero Reſurrectionis tantò minùs horrorem augere potuiſſe, ut potiùs profligare potuerit in ſubjectis rectè informatis.

Circa Argumentum

Qvintum,

Si homines ſine ſpe Reſurrectionis ex ordinatione divina vivunt, ſunt deterioris conditionis quam bruta; ſiquidem omni ſolatio deſtituti propter metum mortis ſemper imminentis in perpetuo mœrore vitam degunt, qvem bruta neqve ſentiunt, neqvc ſentire poſſunt. Sed conſeqvens eſt falſum, E. & Antecedens. Falſitas conſequentis probatur exinde, qvia Creator noluit hominem deterioris eſſe conditionis, qvam bruta, cum propter hominem condiderit omnia fere viſibilia, ut illi & animo, & corpore eſſet benè. Bonitas vero animi, niſi maxima, certe nec minima, eſt gaudium & lætitia, quæ vere ſolida oritur unicè ex ſpe Reſurrectionis.

Contra *multa* â Te, VirExcellentisſime, *regeſta*, Notandum 1. argumentum meum includere ordinationem divinam, quam Tu inſtantiis tuis excludis, adeoquè iterùm committis fallaciam compoſitionis, & diviſionis. In majorem ergo argumenti mei dilucidationem ſciendum, animam rationalem ex Dei Opificis ordinatione in corpus ſuum ferri appetitu naturali, perpetuoque. Fertur autem in corpus, ut forma in ſuam materiam, ad illud informandum, in & cum illo tanquam organo operandum, atque inprimis operationes rationales, Dei cognitionem, amorem, virtutesque eliciendas, atque ſic beate vivendum. Hinc reſultat metus, mœrorque, quando anima hominis actu reflexo appetitum illum ex morte imminente turbatum, commerciumque ejus cum corpore in iſtis operationibus rumpendum animadvertit: quod in brutis ex Dei ordinatione locum non habet. Jam vero ſi ex Dei ordinatione homo eſſet in perpetuo mortis metu, & exinde reſultante mœrore citra omnem Reſurrectionis ſpem, & ſolatium, certè eſſet infra conditionem brutorum ex Dei ordinatione poſitus: quià licet anima brutorum in corpus

ſuum

ſuum appetitu naturali feratur, non fertur tamen in id cum metu mortis, actu reflexo. Propterea homini ſpe reſurrectionis in levamen metus opus eſt. Hinc cadit Tua Prima inſtantia: *Si propterea deterioris conditionis ſunt homines brutis, quod mortem ſentiunt imminentem, bruta non ſentiunt: etiam præſtant hominibus bruta, quia ignominia affici non poſſunt, quia peccare non poſſunt.* pag. 10. fin. 11. in. Epiſt. fiat argumentum abſque diviſione compoſitorum.

Si homines ex ordinatione divina ignominiâ affici poſſunt, & peccare, deterioris ſunt conditionis, quàm bruta: *Siquidem bruta* ex ordinatione divina *ignominiâ affici non poſſunt, nec peccare.* Sed conſequens eſt falſum. E. & Antecedens. Concedo totum argumentum: Num ex Dei ordinatione homo ignominiâ afficiendus, peccato obnoxius, ut ex Dei ordinatione bruta ignominiâ affici, atque peccare non poſſunt? abſit! Inſtantia ergo tua meum non ferit argumentum.

Notandum 2. Argumentum loqui non de conditione eſſentiæ, ſed ſtatus vitæ: non de prærogativa totali & omnimoda, ſed partiali. Sic enim verba opuſculi Germanici p. 14. ſe habent: **Solte der gütige Schöpffer ſie ohne ſolchen Troſt laſſen/ würden ſie in einem elendern Zuſtand leben/ als das Vieh.** Perpetuus mœror ex metu mortis ſemper imminentis pertinet ad ſtatum vitæ, & facit hominem miſerum: quam miſeriam bruta non ſentiunt, adeoque ſtatus illorum hâc in parte eſſet melior. Hinc perit ſecunda tua inſtantia: *Eadem ratione poſſit etiam beatum prædicare lapidem præ muto animante quovis, etiam præſtantiſſimo, cum ne mori quidem lapis poſſit, nec injuriæ ullius ſit capax.* Hæc enim inſtantia itidem impertinenter eſt allata: ſiquidem lapis in nullo vitæ ſtatu conſtitutus eſt, qui vitæ prorſus expers. Comparationem inſtitui inter illos, qui in aliquo vitæ ſtatu ſunt, expendens, quorum vitæ ſtatus melior, aut deterior ſit altero: ubi ſublata reſurrectione ſtatum vitæ in brutis me-

liorem prædicavi ex parte, ſtatu hominum. Ne urgeam, tam de lapide interitum poſſe dici, quam de animante mors dicitur: interit enim lapis, ubi conteritur, & in pulverem redigitur. Et ſicut injuria afficitur animans mutum, ubi homo eodem abutitur: ita non minus de lapide poteſt dici, quod afficiatur injuria, quando in abuſum rapitur. Sic omnis creatura vanitati eſt ſubjecta. *Sed nonne infinita ſunt*, inſtas, *quibus alioqui homines brutis præſtant? forma eximia, eſt enim pulcherrimum animal homo, tum ratio, cujus ope dominium in truculentiſſima quæque & vaſtiſſimi corporis roborisque animantia exercet, quares Divinas humanasque animo complecti poteſt.* Hæc pertinent ad conditionem eſſentiæ, qua incomparabilem homo prærogativam habet præ brutis. Illa non obſtante, ſi homo perpetuò mortis metui ſubjectus eſſet, eſſet præ brutis deterioris conditionis quoad ſtatum vitæ. Nonnè natura diaboli longè antecellit ſubſtantiæ corporum? ex ſenſu tamen reatus infra conditionem omnium quoad ſtatum vitæ eſt poſita. *Num hæc univerſa ſolo mœrore mortis ita obliterantur, ut præſtet canem eſſe quam hominem?* Ita nolui argumentari, ſed indè probare hominem inter viſibiles nobiliſſimam creaturam, ſi ſpe reſurrectionis deſtitutus vivit, ex parte deterioris conditionis eſſe quoad ſtatum vitæ, quam bruta. Non ſequitur: Homines quoad ſtatum vitæ deterioris ex parte ſunt conditionis, quam bruta. Ergo præſtat canem eſſe, quam hominem. Nam eſſentia hominis præſtat Caninæ.

Notandum 3. Argumentum loqui de hominibus, de morte imminente ſemper, aut ſæpius cogitantibus, itemque piis. *Impios per longum tempus de morte ne quidem cogitare*, vix credo. Locus Hiob. XXI. 13. aliter explicandus. Vid. Schmidius in illum, ſi lubet. Syracides omnes omninò homines, nullo excepto, mœroribus, & doloribus, curis, angoribus, & ærumnis per totam vitam vexari, aſſerit cap. XL. 1. 2. 3. 4. Sed eſto: hinc utiquè ſequitur, *impios* in hâc vitâ *feliciores eſſe piis*: ſiquidem ſine triſtitia, & mœrore in meris gaudiis & lætitiis vitam degunt, flentibus interim, & lugentibus piis. Inſtas: *Scio te in hac ipſa collectione vehementer exultaturum, quia Apoſtolus fatetur, veros Chriſtianos præ cæteris hominibus longè infeliciſſimos futuros, niſi præter hanc miſeram alteriùs*

etiam

etiam vitæ ſpes illis ſuperſit. Sed facile oſtendi poteſt ſpem melioris vitæ non tolli, etiamſi reſurrectionis futuræ aliqu's non meminerit, cum credamus omn s, beatiſſimâ conditione frui Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum, quamvis à mortuis nondum reſurrexerunt. Adeò & Tu, mi Paule, atque ego, ambo vapulamus his noſtri Mejeri verbis, ſiquidem & Tu, non obſtante immortalitate, & felicitate animæ poſt mortem, quam & tu æquè perſpectam habuiſti, pronuntiaſti: ſi nulla eſt reſurrectio, pii in hâc vita omnium hominum ſunt miſerrimi. Et vera hæc tua eſt collectio. Cum enim illorum corpus tot ærumnis, afflictionibus, perſecutionibus &c. præ cæteris hominibus ſit ſubjectum, nullum ſolamen corpori ſuppetet, ſi nulla reſurrectio ſperanda: Spes enim melioris vitæ non corpori, ſed animæ conduceret. Nova hæc eſt probatio, aut præcedentis confirmatio: Si fideles non ſunt reſuſcitandi ad alteram vitam, miſerrimos eos eſſe oportet inter mortales, utpotè in hâc vitâ præ aliis afflictiſſimos, nullamque alterius vitæ ſpem habentes. Sic commentatur Calovius in locum Paulinum Bibl. Illuſt. f. 393. a. *Abrahamum*, vero *Iſaacum*, *& Jacobum* quoad animam *ante reſurrectionem* corporis beatiſſima conditione *frui*, negant noſtri Theologi. Status enim animæ ſeparatus non eſt *beatiſſima conditio*, ſiquidem beatitudo animæ ſeparatæ eſt incompleta. Hoc ex ſcriptura conſtat, inquit Dn. D. Balduinus, *quod beatitudo animarum nondum undiquaque ſit perfecta, antequam corporibus ſuis iterum jungantur, ideo animæ ſub altari cum deſiderio corporum ſuorum reſurrectionem expectabant Apocal. 6 10. & quieſcere jubentur, donec complerentur conſervi & fratres eorum; & ſancti, qui ante nos ex hac vita diſceſſerunt, non ſine nobis conſummati dicuntur Hebr. 11 10. Conſummatio ergo & perfectio ſequetur in die reſtitutionis omnium, ubi animæ corporibus ſuis reſtitutæ, juxta Chriſti ſententiam in vitam ingredientur æternã Matth. 25. 46. Comm. p. m. 1201* b. m. plura habet p. 1451. a. fin. b. in. quæ maximæ notatu digna. Animos verò ſuis corporibus reſtituendos eſſe, fas, & æquum judicant Patres, quod hic duco notandum. Theophylactus in loc. Paulinum: Dicet aliquis, ſolam animam uſum eſſe bonorum cœleſtium

ſtium habituram. Verùm, quid illud? nēquè enim hæc ſola laborem ſuſcepit, ſed etiam corpus bonis actibus ſudavit. Quo ergo pacto par illud videri debet, ut corpus, quod majores labores ſubierit, nil prorſus futurum habeat, & præmiorum ſit expers, ſolaque anima coronetur? Citante Magno Calovio l. c. qui & hæc addit: Quo facit illud ê Pamphilo Martyre Apolog. pro Origene ex lib. 1. ejusdem de reſurrectione adductum: *quomodo non videtur abſurdum, ut hoc corpus, quod pro Chriſto pertulit cicatrices &c. ac diverſa pœnarum genera perpeſſum eſt, tantorum certaminum præmiis defraudetur? Contra omnem rationem eſſe videtur, quod ſola anima, quæ ſola non certaverat, coronetur, & corporis ſui vaſculum, quod ei cum magno labore ſervivit, nulla agonis, & victoriæ præmia conſequatur.*

Multarum Tuarum inſtantiarum nondùm eſt finis, annectis & hanc: *Et quæro ex te, quamvis fingamus horum corpora reſuſcitatum non iri, an propterea illorum conditio infra brutinam detrudi poſſit? Ratio etiam ipſa hominis, quæ mortem imminentem ipſi ſubinde oſtendit, plurima quoque ſuppeditat mœroris antidota.* Aſt probandum, rectam rationem, ſuppoſito actu reflexo in mortem imminentem, plurima vera & ſolida ſuppeditare antidota. Omnia certè, ſublatâ reſurrectione, **ſind woll eine rechte Henckers-Mahlzeit.** De quo prandio Caſaubonus: apud Athenienſes, qui damnati capitis fuerant, cum ê loco judicii exibant, ducendi ad ſupplicium, cibum vinumqve largius ſumendi facultatem habebant: tunc etiam poterant tria, quæ vellent cunqve, proloqvi. Deindè ubi edendi, bibendiqve finem fecerant, ore obturatô ad pœnam rapiebantur. Referente Dn. Mullero in Jeſu patiente p. CXXXIII. An hoc prandium potuit damnatis ad ſupplicia excutere omnem mortis mœrorem? Ejusd. efficaciæ ſunt omnia tua mœroris antidota. Audi Syracidem: O mors! qvàm amara es tu homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis, viro qvieto, &

& cujus viæ directæ sunt in omnibus,& adhuc valenti accipere cibum? cap. XLI. 1. 2. 3. Attamen pergis: *unde nemo, nisi stultissimus, cogitatione mortis ita perpetuo excruciatur, ut vitam sibi molestam reddat. Uti enim nunc est natura rerum, etiam in bonis numerandum est, posse ex hac vita excedere.* Addendum: Sub spe resurrectionis. aliàs, judice Salomone Cohel. IX. 4. Canis vivus præstat leoni mortuo. Vid. Gejerus in h. l. Falsum est, malum hujus vitæ morte pejus esse, excepto culpæ. *Valde vero ingratum animum hominis ostendit, qui ad lautissimum convivium à Domino suo invitatus, inter edendum plorare velit, & contristari, quod videat gaudium hoc non fore sempiternum.* Ast, num ingratus dicendus, qui justa de causa plorat, ex metu nempe mortis imminentis? *Unde* Lucretius *naturam ipsam inducit hominibus qui mortis timori indulgent, stultitiam suam exprobrantem his verbis: lib. 3. versu 946. & sqq.*

Quid tibi, tantopere, mortalis, quod nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?
Nam si grata fuit tibi vita anteacta priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere,
Cur non ut plenus vitæ conviva recedis,
Æquo animoque capis securam, stulte, quietem?

Ast vero hunc mœrorem, qui Lucretio stultitia dicitur, asseruit Syracides de omnibus hominibus, c. XL. 1. Et revera inest illis omnibus, qui spe Resurrectionis destituti sunt, imò in *Lucretio* fuit ipso, Epicuri de grege Porco, Poeta quidem, non Propheta, quem in aliis tamen reprehendere voluit, teste divino Vate, Assaph, qui Psalm. LXXIII. 19. de impiis: deficiunt, & toti delentur præ terroribus. Ut pluribus demonstrem, omnes delicias hujus vitæ non esse antidota mœroris, sublata resurrectione, lubet apponere, quæ habet Cicero lib. V. Tuscul. Qu. p. 258. (228.) *Quum quidam ex Dionysii assentatoribus Damocles comm. moraret in sermone copias ejus, opes, majestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quenquam fuisse. Vis ne igitur, inquit ô Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? quum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pul-*

cher-

eberrimo textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures orna-
vit argento auroque cælato. Tum ad menſam eximia forma pueros delectos
juſſit conſiſtere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Ade-
rant unguenta, coronæ, incendebantur odores. Menſæ conquiſitiſſimis epulis ex-
truebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu
fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti juſſit, ut impende-
ret illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat,
nec plenum artis argumentum, nec manum porrigebat in menſam: Jam ipſæ
defluebant coronæ: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam
beatus nollet eſſe. Satisne videtur declaraſſe Dionyſius, nihil eſſe ei beatum,
cui ſemper aliquis terror impendeat? Antequam hoc Argumentum mit-
tam, monendum adhuc, homini nihil jucundius vita, & ſec. Ariſto-
telem lib. 3 Eth c. 9. omnium horribilium horribiliſſimum eſſe mor-
tem, quæ nihil aliud, quam deſtructio naturæ, adeoque, ut ſit ſtulto-
rum ſtultiſſimus, qui hoc neget. Sui amor eſt, & permanendi,
conſervandique ſe inſita voluntas, atque aſpernatio diſſo-
lutionis &c. Seneca Epiſt. LXXXII. p. m. 709. Inde & in piis,
ſpem reſurrectionis habentibus, metus & terror mortis ſe ſe quan-
doque exerit, teſte Apoſtolo: *nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri ut ſorbe-*
atur, quod mortale eſt, à vita. II. Cor. V. 4. quemadmodum Enocho,
& Eliæ factum, qui non mortui, ſed immutati ſunt, & quidem in
vetu oculi. Hujus vero metus & terroris felix, & certiſſimum
antidotum eſt ſpes Reſurrectionis, qua pii omnem expellunt metum, &
triſtitiam, ut læti, & hilares hinc migrent cygnorum inſtar Ca-
nentes: Mit Fried und Freud ich fahr dahin/ in Gottes Willen/ getroſt
iſt mir mein Hertz und Sinn/ ſanfft und ſtille/ wie GOtt mir verheiſ-
ſen hat/ der Todt iſt mein Schlaff worden.

Cum hoc argumentum quintum propius diſtare dicatur à
Damaſceniano: Si non eſt reſurrectio, beatas dicimus
agreſtes feras, jucundam, triſtitiaque carentem deducentes
vitam. lib. IV. de Orth. Fid. c. 28. non poſſum intermittere, quin
repetam in Priori Epiſtola adductum Famigeratiſſimi Theolo-
gi Dn. D. Johannis Mulleri de illo judicium. Poſtquam enim
Ath. Deviſt. cap. XI. p. m. 246. 247. illud Damaſceni, nec non
Athe-

Athenagoræ, & illa Jacobi Martini recensuisset, non subjungebat: Ich will den *Damascenum*, *Athenagoram*, und *Jacobum Martini* mit ihren *argumenten* bald eintreiben. Minime! sed **mit solchen argumenten kan man einen Atheisten eintreiben.** Et vocabat illa argumenta Philosophische Demonstrationes.

Sextum, & ultimum meorum argumentorum, à justitia Dei punitiva, vel vindicativa petitum, pag 6. Repet. Argum. ita se se habet.

Quæcunque simul peccarunt, illa simul puniri, necesse est. Injustitiæ enim esset, unum punire, alterum impune dimittere, cum simul peccaverint. vel sic:

Quicunque peccavit, ille est puniendus in hoc, & futuro seculo.
Totus homo, anima, & corpore constans, peccavit. E.

Hoc argumentum est ex illis, quæ ê ratione ducuntur, validissimum, imo ita validum, ut Resurrectionem evincat. In quanto pretio Patribus primitivæ Ecclesiæ fuerit, innotescit ex illorum scriptis. Nisi denuo, quod fui, inquit Justinus Martyr, factus fuero, quomodo virtutis, aut vitii recipiam retributionem, qvam in præsenti vita non sum consecutus? si enim non est mortuorum resurrectio, quomodo æqvales inter se non erunt, & qui martyrum instituerunt certamina, & qui ea sustinuerunt? Sin hoc iniqvum est, quomodo iniquum non est, non fieri mortuorum resurrectionem; in qua sola expediri potest eorum, qui injurias & intulerunt, & pertulerunt, judicium, & præmii, atqve pœnæ discrimen. Quæst. & Respons. ad Græcos f. m. 215. num. 38. Nec minus Emphaticè Ambrosius: Ratio evidens est, qvia cum omnis vitæ nostræ usus in corporis animæqve consortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus re-

surgere, cujus actus expenditur. Qvomodo enim in judicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit? Orat. de fide Resurr. cap. XI. & cap XIX. eadem repetit: Hæc est series, & causa justitiæ, ut quoniam corporis, animiqve communis est actus, quæ animus cogitavit, corpus effecit, utrumqve in judicium veniat, utrumqve aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reservetur. Huc pertinent, quæ & ap. Tertullianum libr. de Resurr. cap. XIV. XV. XVI. leguntur. Nec non Nili eleganter dicta apud Photium fol. 1531. digna, quæ hic repetantur. *Injuriam facis animæ prætextu patrocinii, & in pugna adversus corpus contra ipsam animam armaris. Factorum enim remunerationes cum anima non communicans, & carni debitam pœnam animæ, tanquam sola peccasset, irrogas. Si enim anima sola remunerationem bonorum operum, laborumque habeat, patet etiam eorum quibus homo peccavit, pœnam solam esse daturam. Sed vide ne corpus & animam adversus sese invicem in judicium voces. Meritò enim corpus cum anima expostularet, si honores rectè factorum sibi adimeret: animaque vicissim cum corpore, si debitas illi pœnas se solum videret sustinere oportere. Quin potius utrumque contra judicem incitas; corpus quidem, quia retributione, quam meretur, privatur: animam verò, quod eorum quorum non est conscia, pœnæ ab ea exigantur. Copulasti me; ô Domine, corpori incorpoream, & soli mihi res terrenas non commisisti, & à me solam pœnam exigis, & do pœnas eorum, quibus corpus peccavit, ebrietatis, fornicationis, gulæ. Ubi enim sunt hæc animæ propria, ut invidia forte, vel hæresis? Quemadmodum enim hæc non sunt corporis, sic neque illa animæ, & si alterum sine altero ad utraque ineptum. Corpus verò cum alia pro se dicat justa, tum, ego pro te mortem oppetii, non anima. Non enim meum est laborare ob leges tuas jejuniis, & vigiliis. Per membra mea virginitas. Quomodo igitur non iniquum, cùm mea sint certamina, animam sine me coronam accipere. Quæ est sententia eorum judicii?* Communis merces, & communis pœna, quia etiam utrisque communia opera fuerunt. *Quanquam in aliquibus contentione unum superat alterum: & sibi invicem conjuncta fuisse ab initio ad communes labores obeundos, confitendum, & sciendum, & fore, ut communes coronas parta victoria accipiant, & in quibus peccarunt, communes pœnas luant.*

Eadem hæc justitia Dei Vindicativa requirit, ut impii in iisdem

dem numero corporibus resurgant, (taceo, aliàs non esse Resuscitationem, sed novam creationem), quemadmodum bonitas Dei de piis idem decrevit. Neque enim fas est, ut in aliis corporibus animæ peccaverint, in aliis torqueantur : Argumentatur Hieronymus Tom. II. op. Ep. LXI. f. 117. H. Noster Dominus Gerhardus, Vir de Ecclesia nostra optime meritus, L. de Resurr. f. 346. a. Resurrectionem quidem vocat mysterium naturâ ignotum : interim tamen argumentum, a justitia Dei petitum, vocat Apodicticum, & Demonstrationis argumentum f. 371. num. 20. quo fides Resurrectionis confirmatur f. 350. num. 7. justitiæ divinæ ratio, inquit, requirit, ut, quia corpus, & anima conjuncta fuerunt in operatione eadem, etiam conjungantur in præmiorum, ac pœnarum retributione. f. 350. a. fin. & f. 377. a. num. 26. fin. Si non est resurrectio, injustus erit Deus, qui corpus animæ in bonis, & malis operibus organum nec præmio, nec pœnis afficit. Hisce de justitia Dei punitiva gemina sunt, quæ in Repetitione argumentorum meorum leguntur pag. 6.. Sed anima, & corpus hominis simul peccarunt : non tantum anima, sed & corpus, licet non æqualiter. Anima enim ad corpus sese non habet, ut homo ad securim, quæ instrumentum est inanimatum : nec ut Eqves ad eqvum, qui tantum est forma assistens eqvi : Sed ut forma informans, qvæ corpori intime unita permeat totum corpus, sine cujus ministerio nulla potest patrare mala opera. Justus ergo judex securim qvidem & eqvum impunitum potest dimittere, cum neutrum peccaverit. Justus vero Deus non inultum potest dimittere corpus, qvod in homine tam peccavit, qvam anima, inæquali qvamvis modo.

do. Totus homo peccavit, anima in & cum corpore: E. & totus homo puniendus, anima in & cum corpore. Socii peccati, socii pœnæ. Quanti Celeberrimus Theologus Rostochiensis Dn. D. Fechtius hoc argumentum æstimet, priori Epistola pag. 26. commemoravi. & paulo post adducam judicium Viri Anglicani, Johannis Baptistæ Aurellii. Noster Dn. Winckler us, Vir Maxime-Reverendus, Fautor, & Amicus meus multis nominibus colendus, & singulariter dilectus, non minus pro Apodictico habet. Et Noster Dn. D. Franciscus Wolfius, Vir Maxime-Reverendus, Fautor, & Amicus meus non minus honorandus, cui Pastoratum Nicolaitanum, nuper susceptum, faustum, fortunatumque animitus precor, hoc argumentum vocat non improbabile. Sic enim: *Quia non sola anima sed totum suppositum operationum suarum principium, & totus homo anima & corpore constans per corpus bene vel male egit, sequitur non esse improbabile toti homini, non uni tantum parti, retributionis justitiam post mortem exspectandam esse, & cum corpus in pulverem relapsum fuerit, corpus inde resuscitandum esse, animæque suæ postliminio conjungendum, ut sic in totum hominem, eundem numero, gestorum in hac vita justa redundet retributio.* Exerc. Academ. de Resurr. possibilitate, probabilitate, & certa veritate Rostochii habit. Anno 1683. § 20. Tu vero, Vir Maxime-Reverende, *nullius ponderis in oculis* Ethnici esse p. 12. Epist. existimas: Et quidem ex triplici ratione. *Prima* est, Ethnicos negare, in Deo esse justitiam vindicativam. *Secunda*, Ethnicum non credere, peccatum mereri pœnam æternam. *Tertia*, solide probari non posse, corpus vere ad peccati vitium concurrere. Si vero contrarium probatum dedero, nonne res plane erit confecta?

Primam rationem his eloqueris verbis: *Ethnicus non magis, ac Socinianus aliquis, credit, justitiam punitivam Deo ita tribuendam esse, ut per eam non possit corpus, quod ad peccatum concurrit, impunitum relinquere.* Socinianis post alios satisfecit Dominus noster Præceptor Colleg. Anti-Soc. p. 92. 93. (60. 61.) Ethnicos vero non idem credere cum Socinianis, Te, Doctor Celeberrime, docebit Doctor Gentium D. Pau-

D. Paulus, qui Rom. I. 32. de Ethnicis scribit: illis naturæ notam esse justitiam Dei Vindicatricem, qva digni sunt morte, qui peccata &c. Præceptor noster in h. l. Paulinum ita commentatur: *δικαίωμα DEI, mala facientes dignos esse morte*, est naturâ cognitum. Ex hac naturalis justitiæ Dei cognitione, tanquam fonte, dictamina conscientiæ etiam in gentibus fluxerunt Rom. II. 15. Ἀξιότης illa, qva improbi digni sunt morte Rom. I. 32. non est ex constitutione divina. l. c. Si Deus pro lubitu puniret, & non puniret, non observaret justitiam, & æquitatem, Ergo Deus esset injustus, & iniquus. Quis Gentilium hoc unquam asseruit? nonne Ethnicum effatum? ἔχει θεὸς ἔνδικον ὄμμα. Si ergo in Deo est vindicativa justitia, quomodo *corpus potest impunitum relinquere, quod ad peccatum concurrit*? Hoc ergo argumentum sec. D. Paulum, & D. Scherzerum non erit *nullius pretii in oculis Ethnici*. Si vero quis homo naturalis in Deo adhuc vellet negare justitiam Vindicem, adeat ille Petri Chauvin Librum de Religione Naturali, ubi part. 1. cap. 7. inveniet, quod negantem convincere potest. Conferat quoq; Domini Friderici Weissen das dem Gnaden-Licht fürleuchtende Naturlicht p. 86. §. 50. seqq. ubi non contemnenda leguntur. *Secundum* non minus Doctor Gentium docet dicto loco; nempe Ethnicis natura notam esse justitiam Dei Vindicatricem, qva digni sunt morte, qvi peccata illa, eod. capite recensita non tantum patrant, sed &, qvi facientibus consentiunt excusando, defendendo, non redarguendo. An tu per mortem intelliges temporalem, quæ omnes manet homines, etiam talia peccata non patrantes, nec facientibus consentientes? minimè! sed cum magno Calovio æternam. Bibl. Illust. in h. l. f. 38. Ἐπιγνόντες sc. ἐν ἑαυτοῖς, in seipsis, seu intra se ipsos, tanquam cordibus inscriptum juxta cap. II. v. 15. Certè enim de notitia naturali sermo est. Ἄξιος θανάτου, est dignus morte coram Deo atque adeo morte æterna quæ

in

in judicio divino infligitur. Notandum enim, quod Apostolus hic eos, qvi morti corporis subjecti sunt, faciat de novo per scelera dignos morte, atqve adeo non morte, cui jam antea obnoxii sunt, sed qvæ futura est, hoc est æterna. Hæc Dn. D. Sebastianus Schmidius, Theologus, quem tota Ecclesia Lutheranà veneratur, in h.l. Paulinum commentatur. Quid vero Tu Maxime-Reverende Vir, ex Gentilium mente contra hoc assertum Paulinum profers? *Videtur quibusdam*, scribis, *corpus satis punitum ipsa morte, si in illa perpetuo est relinquendum.* Recte dicis, *videtur* ex erronea opinione, revera autem non est. Actus enim moriendi & status mortis omnibus hominibus sunt communes, tam piis, quam impiis. Iniquum esset, ead. pœna afficere, qui non ejusdem delicti rei, qui non æque graviter peccarunt, quorum unus alterum malitia superat. Ergo ex justitia Dei impiorum corpus manet adhuc gravior pœna. Tum mors naturalis tantum est pœna damni, qua corpus patitur damnum vitæ: pœna sensus quoque est afficiendum, quia homo in corpore patravit peccata non tantum omissionis, sed & atrocia commissionis. Pergis: *Præterea nulla proportio videbitur Ethnico inter pœnam & culpam, si corpus quod minus peccavit, bis etiam puniatur, semel in morte, deinde vero in resurrectione, ubi sint ipsi ob parvissimi temporis culpam supplicia sustinenda omni fine caritura.* Corpus minus peccare, non omnes concedent Ethnici, qvi corpus pravitatis fundamentum esse asserunt, Trismegist. c. 7. Pymandri. Platonicos mali causam quandoq; in corpore quærere, ipse fassus es. Tum bonos, & justos viros, qui minus peccarunt, nonnunquam bis puniri, docet experientia. In vita enim ingenti vexantur mærore, & multis, vix narratu possibilibus, calamitatum generibus: in morte sentiunt acerbissimos dolores. Num ideo cum Epicuro negemus Dei providentiam? aut illam incusemus injustitiæ? Ethnicus, qui *nullam proportionem videt inter pœnam æternam, & culpam parvissimi temporis*, de infinita Dei Majestate, quæ & lumine naturæ innotescit, recte est informandus. Nonne ex dictamine justitiæ, quo quis major est, in quem peccatur, eo diuturnior est peccantis pœna? Caput rebellionis æternæ infamiæ consecratur: an hoc homini-

minibus est injustum ? Infinitæ Majestatis divinæ, & Æterni Boni respectu inter culpam, & pœnam damnatorum æternam justam esse proportionem, explicabo verbis Domini nostri Præceptoris : Etsi peccata, scribit, ratione actus sui transitorii sint finita, sunt tamen reatus infiniti propter objectum suum, quod lædunt, infinitum. Finitas, & infinitas in culpis non astimatur ex duratione, sed obligatione, non ex entitate physica, sed moralitate. Unde etiam â negatione proportionis Mathematicæ ad negationem proportionis moralis non V. C. Colleg. Anti-Soc. p. 1244. (1315) ubi egregie hoc vindicat ab omnibus instantiis Socinianorum. Quod ad Tertium, non minus natura notum est, corpus concurrere ad peccati vitium. Cur, quæso ! Leges omnium gentium pœnas decernunt toti homini, tam corpori, quam animæ ? quia naturalis ratio illis dictitat, totum hominem esse in reatu peccati tam quoad corpus, quam quoad animam. Ethnicos quoque credidisse, corpora non minus ac animas apud inferos pœna esse digna, probat Justinus Martyr ex Platone, & Hesiodo cohortatione ad Græcos f. m. 26. Ubi pœna, ibi delictum. Ex his perspicuum est, quanti sint pretii hæc tuæ Epistolæ p. 12. fin. 13. in. verba : *Denique fabula illa de cæco, & claudo, vel quæcunque alia abs te in hanc rem differuntur* (Repetitione Argumentorum p. 6.) *numquid solide probant, corpus etiam vere ad peccati vitium sive ad moralitatem, quæ est in actione vitiosa, concurrere?* Notissimâ illâ fabulâ de cæco, & claudo declarare tantum volui sententiam Rabbinorum mihi hâc in re assentientium. Interim suo adhuc stant talo, quæ l. c. adduxi. Excipis : *Nonne omnis malitia est in determinatione atque inclinatione voluntatis ? sine qua iidem motus corporis actionem omni culpa carentem constituissent.* Hujus tamen malitiæ aliquatenus & corpus fit particeps, quatenus est pars Essentialis hominis, qui vitiosam actionem committit. Si corpus nullo modo concurreret ad peccatum, nec reum esset peccati : Injustum ergo esset corpus vel minimam ingredi culpæ pœnam. Ast licet in voluntatis determinatione malitia hominis sita sit, non determinat tamen voluntas malum absque cor-

 pore,

pore, ejusque ſpiritibus, quibus tanquam mediis corpus ingreditur malitiæ cancellos. Recte imputatur homini, ut domino, qvicqvid anima dominando in corpus, ſive corpus ex dominio animæ peregit. Sunt verba Amplisſimi Domini Vincentii Placcii J. U. L. Phil. Pract. & Eloq. P. P. noſtri Gymnaſii optimè meriti. Acceſſ. Ethic. p. 226. m. Siquidem operationes hominis, ſive humanæ, ſunt operationes conjunctæ, corporis & animi, ſe invicem afficientes, adeoqve totius hominis, ex anima & corpore compoſiti, operationes. p. 223. fin. 224. in. adeo, ut & meritum actionis minimæ corporis ſolius, vel brutæ, toti homini ob arctum adeo corporis cum anima nexum adſcribi ſolent. p. 227. m. imputandum homini, (ex anima & corpore compoſito), moraliter, qvicqvid agit, aut omittit circa connexionem moralem, adeoqve voluntarie circa mores ſuos. p. 267. fin. 268. fin. Ergo & totus homo, ex anima & corpore compoſitus, eſt puniendus, non anima ſola. Athenagoras, prudentiſſimus Philoſophus, libr. de Reſurr. f. m. 60. fin. 61. in. hæc ita eloquitur: Quod ſi contra id, qvod ex utroqve compoſitum eſt, pro factis ipſius ſententia juſti judicii profertur, fieri non poteſt, ut anima ſola talionem referat eorum, qvæ cum corpore geſſit. Nam ipſa per ſe non tangitur peccatis, qvæ per voluptates corporales, vel cibos, vel cultus perpetrantur. Neqve item ſolum corpus talionem referre oportet, ut qvod legum, & judicii diſcrimen non ſentiat: ſed homo, qvi iſtis conſtat, pro unoqvoqve facto judicium accipere debet. & fol. 65. fin. Qvin illud qvoqve abſurdiſſimum, Leges conditas ad homines referri, pœnam legum ad ſolas animas retorqveri. Si enim, qvi leges

ges recepit, jure etiam receperit violatarum legum mulctas: leges autem recepit homo, non anima sola; æqvum est, hominem delictorum pœnas luere, non animam solam. Adhuc instas: *Atqui, inquis, corpus arctissime unitum est animæ, & anima corpus tanquam forma informans totum permeat. Enimvero nunquid hoc tibi statim credet Ethnicus, quod nec Christiani sibi omnes persuadent, nosti enim quanta sit quamque varia inter Philosophos de animæ cum corpore unione disceptatio.* Non memini, me legisse, quempiam inter Christianos saniorum Philosophorum adhuc somniare errorem Platonicum de corpore, animæ ergastulo, & carcere, qui dudum explosus ab Augustino Hæres. LXX. Epiphanio Lib. II. Panar. Cyrillo Alexandrino libr. I. in Johan. c 19. referente Domino nostro Præceptore Colleg. Anti-Soc. p. 1223. (1294). Aut errare errorem Aristotelicum, intellectum quendam Patientem, qui corruptibilis, & unicuique homini peculiaris, esse quidem ejusdem formam informantem: Agentem vero, qui immortalis, & toti humano generi præsidet, esse formam hominis adsistentem. Falsum est, â corpore non dependere hominis essentiam. Nonne hominis essentia ac definitio est corpus animatum, vivum, sentiens, ratione præditum? Hoc tyrones norunt. Falsum itaqve est, corpus tantum esse domicilium nostrum. Anima corporis forma informans, non adsistens est. Vid. Micræl. Ethnotroph. f. 46, seqq. sunt verba Domini nostri Præceptoris l. c. p. 1223 (1294). Huc pertinent, quæ leguntur apud prælaudatum Dn. D. Wolffium l. c. § 21. *Dices: corpus esse tantum animæ instrumentum, adeoque sibi constare justitiam Dei, si princeps causæ præmio vel pœna afficiatur, relicto interim instrumento, præsertim si res eo devenerit, ut id in rerum natura inveniri jam nequeat, satisque tum esse punire, quod supersit, & puniri potest. Sed respond. non solam animam esse hominem, sed ad essentiam ejus tanquam compositi, pertinere corpus simul & animam. Ergo si sola anima puni-*

"*puniretur, non puniretur homo. Et si corpus non pertineat ad esse hominis, ho-*
"*mo non moretur, cum moritur, cum anima non moriatur. Ergo non sola ani-*
"*ma sed anima simul & corpus facient hominem. Ergo corpus non erit instru-*
"*mentum, sed pars essentialis hominis.* Reliquas Ethnicorum Philosophorum opiniones de anima, ejusque unione cum corpore debitâ,& digna irrisione explosit Hermias Philosophus Christianus, cujus verba leguntur in fine operum Justini. Si alia adhuc opinio de unione animæ, & corporis apud Philosophos hodiè invenitur, examinanda erit, an meo argumento obstet. In genere notandum, à falsis Philosophorum opinionibus non esse argumentandum ad negationem nostræ demonstrationis, siquidem illa fundatur in vera de homine sententia.

Sua ergo his Vindicatis Argumentis veritas adhuc constat, utut tantum esset probabilis. De instantiis, & exceptionibus tuis, quibus argumenta mea ex lumine rationis pro Resurrectione petita impugnare voluisti, adhuc quæro: utrum ex tua, an aliorum mente depromseris? an pro falsis, aut veris habeas? si ex aliorum mente, & pro falsis, quo quæso successu illis impugnaturum credidisti? Si vero ex tua mente, & pro veris, reus eris errorum partim Platonicorum, partim Epicureorum, neque â contradictoriis plane purus, & vacuus. E.g. pag. 12. Ep. mors pro pœna corporis habetur. p. 11. lin. ult. & pænult. in bonis numeranda. pag. 13. lin. 2. 3. corpus ab omni peccato purum. pag. 10. ex Plutarcho introducitur ut causa multorum peccatorum. pag. 11. lin. 1. bruta ignominia affici non possunt. lin. 4. 6. mutum animans præ lapide injuriæ capax. Præterea nosti, opiniones Platonicorum, & Epicureorum inter contradictoria versare. Platonici enim credunt providentiam, Epicurei nullam. Ex hisce, aliisque similibus principiis ausus es scribere, argumentis meis *nullam inesse vim persvadendi*, movendi, convincendi. p. 6. Epist. Quid vero *mille illæ instantiæ, quas* pag. 6. Epist. adhuc in promptu habes, ponderis habeant, tempus docebit. Nisi in recta ratione fundatæ sunt, profligatu erunt faciles. Si plura cupis, adeas Johannem Baptistam Aurellium, Anglicanum, Virum, Interprete Celeberrimo Dn. D. Fechtio, Sched. Sacr. Exerc·

Exerc. I. p. 37. doctissimum, & solidæ Philosophiæ pariter, atque antiquitatis non mediocriter gnarum. Edidit ille opusculum de Resurrectione Mortuorum Francofurti Anno 1586. in duos libros divium, quorum prior argumenti tractationem Philosophicam, posterior Theologicam complectitur. Ubi lib. 1. c. 6. p. 106. notanter scribit: *Quoniam nos Christiani verum esse certò scimus id, quod dictum est hactenus, propterea resurrectionem credimus & profitemur, & quidem non solum, quia consentit cum ratione, sed maximè quia Prophetæ & Apostoli, veritatis discipuli, constanter eam affirmarunt. Sed ut Philosophi convincantur, ac ita huic veritati amplius non contradicant, sequenti ac postremo hujusce prioris libri capitulo proferam aliquot argumenta, à ratione quoque petita, sed ea non solum erunt probabilia, sed etiam necessaria. Et sanè, nisi me fallat opinio, eis ab adversariis non poterit, nisi sophisticè atque nugatoriè, responderi: & propterea redidentur omni excusatione indigni, si in suo errore persistant.* Vides, Vir Maxime-Reverende, has mihi Epistolas extorsisse & Rei gravitatem, dignitatemq; & Innocentiam causæ, quæ â mea stat parte, quas & nonnulli innocentiæ Patroni, justitiæ Defensores, & Veritatis Amatores à me expectarunt.

Coronidis loco, quia *Resurrectio corporum præsupponit immortalitatem animæ*, quod, Vir Excellentissime, p. 14. Epist. asseris: (quamquam sunt, qui statuunt, etiamsi anima rediret in suum principium, sive positivum sive negativum, Deum nihilominus in resuscitatione corporis tam animam numero eandem posse reducere ex suo principio, quam corpus è pulvere terræ): Argumentum pro immortalitate animæ ê Lumine rationis petitum, quid tibi de illo videatur, propono:

Quicunque intelligit naturali ratione duce, animæ naturam intrinsecè esse incorruptibilem, ille non ignorat, Deum eam nolle unquam annihilare.

Homo naturalis sibi relictus naturali ratione duce animæ naturam intelligit intrinsecè esse incorruptibilem.

E. Homo naturalis sibi relictus non ignorat, Deum eam nolle unquam annihilare.

Major probatur: Si Deus vellet animam annihilare, non incorruptibilem condidisset. In quem enim finem Deus animam intrinsecè incorruptibilem fecit? nonne, ut in æternum vivere posset?

 Cujus

Cujus valoris, & pretii hoc sit argumentum, vellem, Vir Doctisſime, libenter exTe audire.

Faxit Sapientisſimus Arbiter, Benignisſimus Pater, & Potentisſimus Gubernator, ut omnia cedant in ſui Nominis honorem, & hominum ſalutem, quem utrumque finem unice intendi.

Ille DEUS T. O. M. ſervet Te, Vir Maxime-Rev. & animo, & corpore incolumem, ſervet in ſeram ætatem. Id precatur animitùs

In Tuam

Maxime-Rev. Dignitatem

Dabam
Hamb. Ao.
1697.
d. 26. Julii.

Officioſisſimus

IOHANNES VAKE'

INDEX ONOMASTICUS.

	pag.	lin.
Ambrosius	27	27
Aristoteles	26	12
Arnobius	17	6
Athenagoras	6	29
	7	25
	34	17
Augustinus	10	18
	35	10
Iohannes Baptista Aurellius	9	13
	30	6
	36	33
D. Fridericus Balduinus	23	22
D. Abrahamus Calovius,	7	27
	23	17
	24	7
	31	27
	24	6
Isaacus Casaubonus	24	21
Steph. Chauvin.	13	15
Petrus Chauvin,	31	16
Cicero.	8	20
	8	25
	10	15
	18	30
	25	29
Cyrillus Alexandrinus	35	11
Damascenus	26	29
Epiphanius	35	11
Eusebius	10	33
D. Iohannes Fechtius	30	4
	36	34
D. Martinus Geierus	25	7
D. Iohannes Gerhardus	29	5

	pag.	lin.
Gregorius Nyssenus	9	27
Hugo Grotius	7	26
Hermias	36	5
Hesiodus	33	18
Hierocles	18	23
Hieronymus	29	4
Iamblichus	9	5
	10	12
Iustinus	11	12
	15	3
	27	17
	34	7
	33	17
	36	7
Irenæus	15	22
Lucretius	25	12
Mariana	12	26
Iacobus Martini	27	1
Micrælius	35	22
D. Ioh. Mullerus	26	33
D. Henricus Mullerus	24	27
Origenes	18	20
Pamphilus Martyr.	24	7
Photius	28	9
Vincentius Placcius	34	5
Plato	6	12
	33	18
Plutarchus	18	30
	36	23
D. Ioh. Ad. Scherzerus	30	30
	33	10
	35	12
	35	23

D. Seb

INDEX ONOMASTICUS.

	pag.	lin.
D. Seb. Schmidius	22	27
	32	5
Seneca	16	22
	18	30
	26	28
	18	17
Suidas	19	22
Tacitus	19	5
Tertullianus	28	8
Theophylactus	23	31
Hermes Triſmegiſtus	6	13
	17	11
	32	23
Valerius Maximus	19	14
Fridericus Weiſſen	31	18
Iohannes Wincklerus	30	6
D. Franciſcus Wolffius.	30	9
	35	25

In Epiſtola Priore.

σφάλματα	corrigenda.
pag. 14. lin. 13. persuaderunt	persuaſerunt
17. p. m. qvondam	p. m. qui quondam
34. utilitem	utilitatem.

Poſteriore.

pag. 8. lin. 6. formatum	formatam
pag. 9. lin. 5. Jamblichius	Jamblichus
pag. 13. lin. 31. utris	uteris
pag. 14. lin. ult. Mydas	Midas
pag. 23. lin. 5. Mejeri	Mayeri.
Cartheſiani	Carteſiani

Pymander rectiùs Poemander, Græcè enim ποιμάνδηρ.

Hanc correctionem ſubjungere volui ad evitandam naſutulorum calumniam: qvæ σφάλματα alias benevolus Lector ipſe correxiſſet. Si qvæ alia oculis meis, in rem potius ipſam inter relegendum intenſis, ſubterfugerint, æqvum Lectorem illa non minus correcturum, confido.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825708877/phys_0044
DFG

homo. Et si corpus non pertineat ad esse hominis, ho-
oritur, cum anima non moriatur. Ergo non sola ani-
corpus facient hominem. Ergo corpus non erit instru-
lis hominis. Reliquas Ethnicorum Philosopho-
na, ejusque unione cum corpore debitâ, & di-
Hermias Philosophus Christianus,
fine operum Justini. Si alia adhuc opinio
corporis apud Philosophos hodiè invenitur,
eo argumento obstet. In genere notandum,
opinionibus non esse argumentandum ad
nonstrationis, siquidem illa fundatur in vera

dicatis Argumentis uc constat,
babilis. De insta tuis,
ex lumine rationi
quæro: utrum
is, aut veris
o successu
ro veris,
orum,
mors
ume
m
ro-
ersare.
cipiis
m. Ex
mentis meis
, mo-
. Epist. Quid vere
iæ, quas
romptu habes, ponde
e, tempus
tione fundatæ sunt, profliga
unt faciles.
annem Baptistam Aurellium, Anglica-
Celeberrimo Dn. D. Fechtio, Sched. Sacr.
Exerc·

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset
HARTBLEI
© 2009 digitalfoto-trainer.de
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825708877/phys_0049
DFG